



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Esurientes impleri bonis à Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

C A P V T X V I I .

Quam prodigiosa liberalitate Deus seruis suis, maximeq; Religiosis prouideat, tempore necessitatis?

**D**ictores, vt lucidis coloribus gratiam addant, eosque faciant eminentius clarescere, illos colores iuxta ponunt, qui habent obscuritatem. Ita Deus inimicos suos, in ipsa copia, subinde penuria affligit, vt cura illius & amor tantò fiat illustrior, quando paternè prospicit amicis. Auaris, & voluptuarijs, ventremque magis, quàm Numen curantibus ita minatur. *Decem iugura vinearum facient lagunculam vnã, & triginta modij sementis facient modios tres: Vã qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vespèram, vt vino estuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris: & opus Domini non respiciitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* His etiam in Psalmo prædicitur. *Et famem patientur, vt canes.* Nam, etsi sint diuites, etsi abundant, tamen potest eos diuina vindicta ad incitas redigere; & è Croësis Iros facere. Quin multi, præ avaritia, quò plus habent, minùs audent comedere aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluuiemque suam explent. Quò vina plus bibuntur, plus sitiuntur. Hinc helluones, hinc gurgites vocantur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbra non conuiuæ; nec focij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati.

I.

Isa. 5. 10.

Pf. 58. 7.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui non affliget fame animam iusti. Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello lingue absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terre non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat a morte animas eorum: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Novit Dominus dies immaculatorum: & hereditas eorum in æternum erit. Non confundentur.*

II.

PROV. 10. 3.

Iob. 5. 20.

Pf. 3. 2. 18.

Pf. 36. 18.

confun-

confundentur in tempore malo, & in diebus malis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Non enim in Domino, sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de Dei providentia & bonitate sentiunt, quod oportet, haudquaquam ambigunt, vitam sustentationem, que suam multò magis curari à Deo, quàm à seipsis.

## III.

S. August. de  
orat. Domi-  
nic.

Prou. 10.  
Psal. 36.

Luc. 12.

4. Reg. 4. 38.

Ioan. 6. 11.

4 Reg 4. 42.

Luc. 22. 35.

Quod sanè SS. PP. luculentè docuerunt. Non potest, inquit S. Augustinus, *quotidianus cibus deesse iusto, cum scriptum sit: Non occidit Dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quarens panem: Et iterum: quarentibus regnum Dei, & iustitiam eius omnia promittit apponi, & cum sint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, si DEVS ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, iussu regis, incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, cornis ministrantibus & volucris cibum apportantibus in persecutione nutritur. Elisæus quoque, tempore famis, nonne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantum, sed & panes. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat. Responditq; ei minister eius: Quantum est hoc; vt apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. Posuit itaq; coram eis; qui comederunt, & superfuit, iuxta verbum Domini. Imago hæc & adumbratio fuit Christi, ad eundem modum, quinque panibus hordeaceis quinq; virorum millia, in deserto, pasturi; & pasturi ita, vt duodecim cophini superessent, & tantò plus restaret, quantò plus ademisset. Elisæo in pera allatum est frumentum; Christus discipulos suos, sine sacco & pera misit, & nihil illis defuit. Quare etiam de imitatore Christi & Apostolorum ait D. Ambrosius: Fide iustus putet sibi, quò minus ea requirat, eò magis panem suppetere. Curat enim Deus magis, qui Deum curant magis; & pullatis vestibus album panem pinxit, vt in prouerbio est. Quanquam enim Dei seruis carnis curam non habentibus, sed ieiunio atque abstinentiæ deditis faciliùs satisfiat; cum pomo, nucibus palmarum, pistaceisue satiantur, aut cum ex iure hesternò panem atrum edunt: tamen diuina manus, cum nec ista suppetunt, mirificè eis succurrit. Proderit, benignum hunc Dei morem in exemplis docere.*

Agmen